



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CXXIII. Excommvnicatio Hvgonis Et Emmonis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CXXIII.

EXCOMMUNICATIO HVGONIS ET EMMONIS.

HVGONEM Lotharii regis quondam filium, non legitimum, sed naturalem adulterina copula genitum, qui post præstatum sacramentum dilecto filio Ludouico regi Francorum mentitus esse videtur, & inquietare pacificum regnum prædicti regis: & Emmonem, Bernardi comitis germanum, complicem in excessibus, nisi intra dies xxx. ad prædictum seniorem suum redierint, & ab inquietudine regni resipuerint, omni Christiana communione priuamus. Postmodum si perseverauerint, sciant se anathematis vinculis innodandos. Data &c.

EPISTOLA CXXIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

Arguit eos, quod a Turonensis archiepiscopi iurisdictione
se subtraxerint, eiusque bona inuaserint. præcipit
vt ei deinceps pareant, & delictorum
ab illo veniam petant.

*Maben Dolensi episcopo, nec non & omnibus episcopis Britannicis,
seu uniuersis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus.*

SANCTITATEM seu fidelitatem omnium nosse volamus, quia dum Trecis Synodus celebraremus, suggestione Adelardi archiepiscopi consacerdotis nostri audiimus, quod vos matrem vestram Turonensem ecclesiam despicientes, secundum antiquam consuetudinem illi obedire differtis, & priuilegium a B. Petro apostolo illi supra vos concessum frangere conamini, debitumque honorem ipsi archiepiscopo vestro obseruare negligitis, & malum supra malum addentes, prædicto capiti vestro prædia auferre non formidatis. Inter hæc etiam, & præfato antistite narrante, & aliis coepiscopis similiter confessibus, audiuius ut vos non antiquo more a vestro metropolitano consecrati fuissetis, sed expulsis legitimis episcopis de sedibus, sola potentia ducis vestri alter ab altero consecratus fuit. Quod mirati fuimus, &, si ita est,

Concil. Tom. 24.

T ij